



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

VIII. De his qui mulieribus adulteris iuncti sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

huius coniunctionis vincula dissoluat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

ANNO
CHRISTI
314.

III.

31. q. 1. De
his qui fre-
quent.

De his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifestum est : sed conuersatio eorum & fides tempus abbreviat.

IV.

Aduerte.

Si quis mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio eius non perueniat ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus est.

V.

Catechumenus si ingrediatur Ecclesiam, & in ordine eorum qui instruuntur, assistat; hic autem deprehensus fuerit peccans: si quidem genu flectit, audiat, ut non delinquat ulterius: si vero & audiens peccauerit, expellatur vi.

VI.

Graudam oportet baptizari quando voluerit. Nihil enim in hoc quæ parit nascenti communicat, propterea quod vniuscuiusque suum propositum in confessione declaretur.

VII.

31. q. 1. De
his qui fre-
quent. Et in
decr. Iuo.
lib. 6.

Presbyteris in nuptiis bigami prandere non conuenit: quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui propter conuiuium talibus nuptiis possit præbere consensum?

VIII.

34. Dist. Si
cuius vxor-
rem.

Mulier cuiusdam adulterata laici constituti, si

euidenter arguatur, talis ad ministerium cleri venire non poterit. Si vero post ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam conuenit. Quod si cum illa conuixerit, ministerium sibi commissum obtinere non poterit.

IX.

Presbyter si præoccupatus corporali peccato prouehatur, & confessus fuerit de se, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis, propter studium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se non fuerit ipse confessus, & argui manifeste nequiverit, potestatis suæ iudicio relinquatur.

X.

Simili modo etiam diaconus si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii subtrahatur.

XI.

Presbyter ante tricesimum ætatis suæ annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus, sed hoc tempus obseruet. Nam Dominus noster tricesimo ætatis suæ anno baptizatus est, & sic cœpit docere.

XII.

Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem presbyterii non potest promoueri, quod non ex proposito fides eius, sed ex necessitate descendit: nisi forte propter sequens studium eius & fidem, atque hominum raritatem, talis possit admitti.

XIII.

Presbyteri rursus in Ecclesia ciuitatis, Episcopo